


X 2316863

**VALEDICTURUM**  
**DISCIPULUM NOSTRUM,**  
INFRA NOMINATUM,  
UT,  
DIE CRASTINO,  
HORA AUDITA OCTAVA ANTE MERIDIEM,  
*IN AUDITORIO MAJORI,*  
BENEVOLIS AURIBUS AUDIANT,  
**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,**  
PATRONOS, ATQVE AMICOS,  
*LITERIS PRÆSENTIBUS,*  
ETIAM ATQVE ETIAM ROGAT,  
**M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ RECTOR.**



*CTGNEÆ,*  
LITERIS FRIDERICIANIS.



*Enchiridia.*



Picas post messem colligere uti semper licuit colonis: & collecto-  
ribus rerum scitu dignissimarum integrum fuit, spicilegia doctri-  
næ & sapientiæ instituire, quæque in primo legendi cursu forte  
præterita videbantur, iterata opera reperere: ita mihi quoque  
hæc nefas habebitur, Enchiridiis duobus abhinc annis pari occa-  
sione a me conquisitis partim nova addere, partim priora commentatione qua-  
dam nova interpolare. Societatem igitur cum recensitis jam conjungant

I. *Prudentii Amœni Enchiridion V. & N Testamenti.* Fuit hic oriundus Hispa-  
nia, & aut suppar Prudentio, Turiasonenfis in Hispania Episcopo; item Aurelio  
Prudentio Clementi, patria Calagurritano; aut certe non valde inferior. Illud  
autem Enchiridion quamvis Critici veteres plerique Prudentio Clementi abjudi-  
candum censeant: quod libellus non sic excultus sit atque elaboratus, ut cæteri  
fœtus a Poëta editi: mihi tamen Georgii Fabricij censura pro cæteris placuit.  
*Amœnus, inquit, qui fuerit, ignoratur: Ejus extat Enchiridion veteris & novi Testamenti.*  
*Id Enchiridion hæcenus additum fuit operibus Prudentii. Alii arbitrantur esse Sedulij, in*  
*qua opinione est Sicardus: Verum, cum idem testetur, Amœni nomen in manuscripto Wern-*  
*berii Wollfii, Argentoratensis, appositum fuisse: id putari in bastatione sequendum, quod*  
*libro, antiquo teste, probaretur.* Historias utriusque fœderis potiores ac nobiliores  
Autor quaternis versibus complexus est: quo selectu hoc singulari facta sancto-  
rum & casus notabiliores concisa oratione in oculis, & in mente memoriaque ce-  
lerius versarentur. Inde nervosa rerum actarum segregatio, & nervosa elaboratio  
fili Enchiridii nomen peperit.

II. *Alexii Ariostij Enchiridion conscientie,* ita dictum, quod omnes casus conscien-  
tiæ illic comprehendisse sibi videretur, quibus turbari, rursusque refici & recrea-  
ri animus male vexatus aut anxius possit. Qui an pollicitis nimium divēs fide-  
rit, & totum materiæ tam diffusæ fundum exhausterit, videant ii, quos æquus Jupi-  
ter amavit, aut ad æthera virtus ardens evexit.

III. *Joachimi Beuslij Enchiridion de arte bene beateque moriendi,* cum aliis carmini-  
bus in ejus mortem conscriptis 1597. 4 Lipsiæ editum. Ea ars salutem curans, beata  
æternitatis tenax, tribus Autori curis constitit, cum perpetuo in mente hæere  
debeat, vivere Christo, contemnere mundum, sancte mori. Luserunt charissimi  
nepotes avi pii in eam artem versibus, & ita luserunt, ut non minorem pietatis ar-  
dorem in exprimendo avo suo ostenderent, quam avus in arte ipsa & inforinanda  
promovendaque pietate nepotum suorum declaravit. Mirum profecto, quam  
simplici; at candida fide, quam humili; at cordata fide, quam erecta; sed sub-  
missione sancta temperata fide doctrinam Christianam fuerint amplexari.

IV. *Sethi Calvisij Enchiridion Lexici Latino-Germanici.* Francof. ad Viadr. 1628.  
8. In hoc vocabula ipsa laudatus Calvisius exacte digessit ad literarum ordinem,  
usum vocabulorum & significationem in aliis atque aliis dicendi rationibus bre-  
viter lectoris exponit oculis, mensuram insuper syllabarum annotans, & cuncta  
quidem eo modulo, ut commode circumgeltari queat, & sine multa molestia.  
Ita enim vir limati judicii putabat vocabula facillime inveniri, cognosci, judi-  
cari atque in usum transferri posse. Digna opera, quæ sedula juvenutis manu  
teratur. Digna & præfatio Calvisiana, quæ pro appendice fructuosa discensibus  
in scholis una cum legibus scholasticis prælegatur, inculcet, imo & parentibus  
nota ac familiaris fiat. Quemadmodum enim in opere ipso calvisij Enchiridion  
vocabulorum succincte propositorum, plene tamen, continetur: sic ejus præfa-  
tio, tanquam salubre anrepagmentum, decrementi scholastici causas ediferens  
Enchiridii quidam prodromus, a forma Enchiridii non abluens, haberi debbit.

V. *M. Valentini Frommens Enchiridion Theologie Catechetice.* Berolini 1639. 8.  
Docuit Pius ille re & nomine, *ὡς ἐν συνόψει* in schola Neo-Brandenburgensi do-  
ctrinam credendorum, seque ad captum auditoris sui prudenter accommodavit,  
ordinem receptum Catecheseos retinens. Hac mente Locos Theologicos non  
solum

solum cum capitibus & materia catechismi, sed & lege, dispositione, ordine componens fecit, ut, absoluto opere hoc informationis, nec de penuria, nec de abundantia (en fructum Enchiridii) sapientiæ cælestis tyrones queri possent. Veteris autem & a prima ætate assueti ordinis cum uberiori expositione doctrinæ salutaris conjunctio quantum momentum afferat ad faciliores maturiores que profectus, ii demum recte norant, qui usu edocti istis studiis ordinandis præfuerunt, studio ipsi interfuerunt.

VI. *Matthia Hasenrefferi Revelator punctorum vigilantissimus.* Tubingæ 1618. 8. Is Ludovico Friderico & Georgio Thomæ filii suis librum nominatum dicaturus fatetur, sese rem Hebræam tentasse, & in brevissimum hoc, quod paterna manu acciperent, Enchiridion congestisse. Et quoniam parum est, libellum Grammaticæ Ebrææ semel atque iterum in manus fumere, vel aliquoties etiam revolvere, nisi continua industria ejus lectio suscipiatur, & dies diem manifestis incrementis doceat: hinc non ad manus, sed potius in manibus Revelatorem hunc esse, &, ad instar Enchiridii, inhærere ipsi digitis voluit.

VII. *Johannes Huswirt Enchiridion Arithmeticum sub titulo Algorithmi.* Colon. 4. 1501. A quatuor operationibus Arithmetices, quas vulgo species appellant, primordium ducens diligentia suæ, ad regulam usque auream Detri, cum in numeris integris, tum fractis progressus, plerasque curas numerorum pro virili sua concise, nec sine exemplis necessariis pertractat. Cum autem hujus studii necessitas cum utilitate conjuncta cuivis non insipido perse eluceat, eoque ævo doctorum utiles labores libenter Enchiridiorum nomine commendarentur: idcirco Husvirthius rationem numerandi a se scriptam pari nomine insignire non dubitavit. Quælibet enim mater diligit liberos suos.

VIII. *Martini Lutheri Enchiridion doctrinæ Christianæ, seu Catechismus minor.* Quod Augustinus de Psalmo Davidis CX profarus est, librum esse brevem numero verborum; magnum vero pondere sententiarum; cum de aliorum prolaxis commentariis dici possit: magnam civitatem, magnam solitudinem: id de ista comprehensione catechetica jure optimo dicatur. In eo enim Doctores sacri consentiunt omnes, ait noster Schilterus, in hac propter summum illius cum scriptura consensum, judicium rectissimum contineri de omnibus cum aliorum temporum, tum nostri sæculi doctrinis controversis, esseque instar fili Ariadnes, cujus ductum sequentes ex omnibus errorum Labyrinthis, humano consilio inextricabilibus, facile se expedire queant. Sique citatus Augustinus religionis Christianæ doctrinam in res partitus est, & signa: rei autem partes vel pœnitentiam, vel pœnitentiæ fructus respiciunt: & partes pœnitentiæ sint contritio & fides: quarum illa ex lege oritur, cujus summa in Decalogo proponitur: fides autem ex Evangelio concipitur, cujus iterum summa in articulis symboli Apostolici comprehensa est: fructus porro pœnitentiæ sunt bona opera, quæ aut ad vitam communem humani generis pertinent, qualia decem Præceptis descripta habentur: aut ad certum ordinem in vita, videlicet in tribus a Deo constitutis ordinibus, spectant, quorum officia in postrema tabella Catecheseos strictim & breviter traduntur: sique inter ea opera eminent invocatio Numinis: cujus perfectissimum exemplar oratio Domini refert: omnes res Enchiridion Lutheri summa brevitate complectitur. Præterea si signa seu Sacramenta, Baptismus & Cæna Domini, cum annexa potestate clavium non modo ut signacula & pignora Christi beneficia applicant; verum & gratiam ipsam exhibent & conferunt: signa quoque visibilia invisibilis gratiæ summa brevitate complectitur. Propius Enchiridii naturam attingit delitium Germanorum Principum, dum vivebat, Georgius Anhaltinus, ita de Lutheri Enchiridio judicans: esse primam partem doctrinam doctrinarum, seu legem legum omnium, sive Præceptorum divinarum totius Scripturæ; secundam, historiam historiarum, seu promissionum omnium epitomen; tertiam, orationem orationum, seu omnium Psalmorum epitomen;

FK IIa 345

men; quartam & sextam, ceremoniam ceremoniarum; perinde ut quinta potestas potestatum; appendix denique tabula tabularum dici posset. Quocirca ipse Lutherus Catechismum hunc modo compendium, modo parva Biblia, nucleum, modo cor & animam scripturæ, modo summarium & corpus doctrinæ appellavit. Cujus utinam tam lectores, quam auditores verba in lege comprehensa in opera, quantum fieri posset; beneficia autem ibidem relata in memorias sempiternas mutantur, neque Enchiridion manuum pærius, quam cordium esse connterentur.


IX. R. Petri Martyris Protonotarii Enchiridion de Insulis sub D. Carolo repertis, dicatum Domine Margaritæ, Divi Max. Cæs. filia. Basil. 4. 1551. Agit Autor quasi festinabundus de Insulis Americæ ab Hispanorum milite classico occupatis, earumque incolis, in qua historia multa notatu digna, auditu jucunda narrat; ut dolendum sit, Enchiridii formam in tam jucundam incidisse materiam, in qua fusa narrandi ratio pro ambulacro variarum arborum umbris opaco futura erat. De Insula Jucataana seorsum inter alia refert, illius habitatores ornare cruces solere. Unde id moris habuerint, interrogati per interpretes, dicere aliquos: transiisse aliquando virum quendam formosissimum per eos tractus, qui eis id insigne in sui memoriam reliquerit; alios, obiisse lucidiorem sole hominem in eo officio.

X. Michaelis Neandri Enchiridion sanctæ linguæ. Per interrogationem vir rei literariæ addictus, nec minus in palæstra doctrinæ cautus, suas cogitationes proposuit, addens alia ad eam linguam illustrandam pertinentia; ut eo pacto adolescentibus studiosi parvo in libello & Enchiridio non modo præcepta omnia paucis chartis comprehensa faciliori, ordine disposita atque explicata haberent, sed etiam eodem labore discerent, qui Autores & libri, quibus in linguis, & quomodo extarent, qui utiles, qui contra nullius frugis essent: quo & tali instituto ad amorem linguarum allicerentur. Propterea univèrsam discantis curam, in lingua Ebræorum adhibendam, uni obtutui exposuit, & veluti manu perpetuo circumferendam, hoc est, Enchiridion commendavit.

XI. Theophili Pistorii Enchiridion linguæ sanctæ, seu Hebrææ Grammaticæ. Lipsi. 12. 1626. Idem fere, quod laudatus Neander, sibi proposuit, discantium studium indefessum & alacrem diligentiam; præcipue cum de conatu suo adeo judicet ipse liberaliter, ut confidat, hoc manuale brevitate non obscuraturum, prolixitate non fatigaturum, potiusque, quia harmoniæ Grammaticæ communis & Latinæ Philippæ congrueret, ad linguarum cognatarum, Chaldææ, Syræ, Arabicæ faciliorem cognitionem non parum adjumenti allaturum esse.

XII. Joannis Joviani Pontani Enchiridion. Florentiæ 8. 1514. Uraniam suam, (in qua totam Astronomiam percenset) Meteora, & de horris Hesperidum opusculum cum pastoralibus quibusdam carminibus in unum volumen compegit, & in formam Enchiridii exacte diligenterque redegit. Nulla laude nostra egent tanti Scriptoris opera. Suis rominibus, quibus inscribuntur, cumulate responderet elaboratio. Editor autem, Marianus Tuccius, Florentinus Ant. Francisco Albitio suavit, Pontaniana æque jugiter in manu habenda, ut Xenophon olim Scipioni, Homerus Arcefilæ familiares fuisse perhibentur. Qui doctrinam morum cum reliquis studiis, in compendio velut Enchiridii, hæcenus didicit,

BENJAMIN SCHMIDERUS, Langenreusdorffensis, valedicturum specimen profectuum suorum dabit, elaborata oratione Latina, in qua utilitatem dialogorum in formandis moribus, tanquam in Enchiridio, ostendet. Huic nomine commilitonum more veteri respondebit, & bona verba dicet DAVID HEINRICUS ZORNJUS, Meeranus. Nosque discedenti bonas aves faustumque auspiciam & fortunatum studiorum progressum ex animo precamur! P.P. d. 29. April. An. O. R. 1708.



MC


II a  
345

FR. 174  
36

X 23A6863



**VALEDICTURUM**  
**DISCIPULUM NOSTRUM,**  
 INFRA NOMINATUM,  
 ut,  
 DIE CRASTINO,  
 HORA AUDITA OCTAVA ANTE MERIDIEM,  
**IN AUDITORIO MAJORI,**  
 BENEVOLIS AURIBUS AUDIANT,  
**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,**  
 PATRONOS, ATQVE AMICOS,  
 LITERIS PRÆSENTIBUS,  
 ETIAM ATQVE ETIAM ROGAT,  
**M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ RECTOR.**



CYGNÆ,  
 LITERIS FRIDERICIANIS,



*Enchiridia.*

